



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ Stephani Papæ ad Domnum Carolum regem &
Eius præcelsam genetricem directa, in qua continentur gratiarum actiones
& collaudans Itherium Abbatem, & postulans, vt ei digna ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

Item exemplar Epistola * Stephani Papa ad * Step-
 Domnum Carolum Regem & eius præcelsam genetricem di-
 recta, in qua continentur gratiarum actiones & collau-
 dans Itherium Abbatem, & postulans, ut ei digna
 retributio, pro suo certamine fieret.

* Step-
 nus IV.
 Electus
 Anno 768.
 Mortuus
 Anno 772.

XLIV.

DOMNÆ religiosæ filia Bertrada Deo sacrata,
 seu Domno filio Carolo Regi Francorum, &
 Patricio Romanorum, Stephanus Papa. Dum
 tantos beneficiorum in diuersis Apostolicis causis at-
 que vtilitatibus à vobis, cumulatis suffragiis, nimia
 iocunditatis lætitia sancta spiritalis mater vestra, vni-
 uersalis Dei Ecclesia releuata exultat, nulla, vt opinor,
 oris assertio ad referendas sanctissimæ religiositati ve-
 stræ atq; Christianissimæ præcellentia tuæ, gratiarum
 laudes sufficere valebit; sed tamen licet digna vobis,
 ab hominibus pro tanto vestro pio opere rependi nõ
 possit vicissitudo, veruntamen misericors DEVS no-
 ster, qui potens est, & scit bonis bona reddere, ipse co-
 piofam laborum vestrorum vobis cœlestium retri-
 buet præmiorum recompensationem; sed & nostra
 sincera cordis habita erga vos affectio, sedulo pro vo-
 bis diuinæ non desistit maiestati orationum persolue-
 re vota.

Huius epi-
 stol. memi-
 nerunt Cœ-
 turtatores
 Cent. 8. ca.
 10. Sbi de
 hoc Pontifi-
 ce agunt,
 quem ipsi
 vocant Ste-
 phanum
 tertium. Et
 Bar. Anno
 772. qui
 etiã citant
 Epistolam
 eiusdẽ Ste-
 phani ad
 Pipinum
 initio Pon-
 tificatus
 scriptã, qua
 petit, ut
 homines
 doctos Ro-
 mam mit-
 tat ad Sy-
 nodũ: que
 in nostro
 apographo
 non compa-
 ret.

Itaq; præsens Itherius, religiosus ac prudentissi-
 mus vir, & reuera noster & vester sincerus fidelis,
 quem cum suis concomitibus, & reliquis vestris Mis-
 sis pro exsequendis faciendisq; iustitiis fautoris vestri,
 beati Petri, direxistis, ad nos cõiungens, ilico in partes
 Beneuentani profectus est Ducatus, p̄ recolligẽdo, il-
 lis in partib. sito patrimonio eiusdẽ protectoris vestri,

Apo-

Apostolorum principis, qui videlicet sollertissimus vir, in omnibus, secundum vestram nostramq; decertavit voluntatem sui; laboris constantiam, iuxta ut à vobis illi præceptum est, in ipsis Apostolicis exhibuit utilitatibus, vnde nimis cor nostrum in eius defensionis certamine, & firma operationis perseverantia, lætatum est; quia profectò secundum quod, cœlestis muneris gratia, magnæ scientiæ illustratur prudentia, piis quoq; meritis atq; immutilatæ fidei decoratur integritate, tantam in eo reperimus fidelitatem in vestro nostroq; seruitio, quantam diutissimè nostra ardentius de eo optabat agnoscere mens.

**quasi vel
tanquam.*

Vnde maximas atq; innumerabiles gratiarum, actiones religiosissimæ sobrietati vestræ, * atq; præsentialiter, Christianissimæ excellentiæ tuæ referimus; & ideo obnixè, tanquam præsentialiter, benignitatem vestram petimus, ut amplissimam favoris vestri gratiam atque largitatis munificentiam, & dignam consolationem eidem religioso viro, pro eius laborioso certamine, quod in vestro atq; nostro ut dictum est, Apostolico seruitio exhibuit, impertire iubeatis; quatenus sicut ab omnipotenti Deo, intercedente B. Petro, digna operis eius in cœlestibus regnis exarata fertur remuneratio, ita & à vobis consolationis consequatur opem.

Omnipotens autem Deus noster, sacris Apostolorum principum interventionibus, sua vos circumtegat gratia, & præsentis vitæ prospera, & æterna felicitatis vobis multipliciter tribuat gaudia. Incolumem religiositatem vestram atque excellentiam tuam gratia superna custodiat.

Item